

si planta undique sit aqua circumdata, etiam compressionem patitur ex gravitate aquarum: qua compressione omnes partes extenuantur, atque gracilescent. Sic oritur vegetatio *aquatilis*, qua folia ac caulis in longitudinem magis, quam latitudinem efformantur.

Ex hac plantarum aquaticarum indole, quæ duplici oritur virium concursu, scilicet aquarum pondere extus undique prementium; intus autem vi vegetabilis interna, sursum tendentis, quod planta ipsa, aqua levior est: facile intelligi possit, cur non tantum plantarum partes inundatarum, ad summum in aqua subtilitatis gradum dissolvantur, rursusque emersæ in unum quasi confluant; sed etiam, quod maximi est in re herbaria momenti, cur tot plantarum species terrestrium, sed forte in aquam disseminatarum, omnibus partibus adeo gracilescent, ut in alienam speciem transiisse putares. Ex hoc quoque judicari potest, cur nonnullæ plantæ aquaticæ tenuiores sint in charactis rapacioribus, quam in stagno: itidemque subtiliores in mari, quam alibi aquarum dulcium; nam utrobique majori vi premuntur. Præterea vis gravitatis major est in alto, quam in superficie aquarum, ideoque majori sunt plantæ tenuitate in aqua profunda; quare etiam caulis sursum incrassari videtur.